



CODICES DOGMATICI.

307 ——— 358.

CCCVII.

115



Codex membraneus lat.
Sec. XII. exeuntis,
Folior. 199. f. pro-
be scriptus rubricisque distinctus
exhibet I. *Ruperti Abbatis Tui-*
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

tiensis O. S. B. Scriptoris Sec.
XII. de *Victoria Verbi Dei Li-*
*bro*s XIII. Praecedunt Lemmata
Capitum totius Operis, sed qui-
bus, quod numerum adinet, ma-
le

A

le

le fidentur. Sequitur Praefatio hoc rubro: *Incipit Prologus domini Rudperti tuiciensis abbatis. ad uenerabilem Cunonem tunc sigibergensem* (O. S. B. in Ducatu Bergenfi) *abbatem. postea ratisponensem episcopum* (✠ 1130.) *Nuper cum tu Hospes optabilis Cuno pater cenobii sigibergensis nostrum presentia tui serenares habitaculum &c.* Opus vero ipsum: *Incipit liber primus Domni Rudperti de uictoria uerbi dei. Capit. I. Uictoriam Uerbi dei effectum et opus perfectum dicimus propositi dei &c.* Integerrimum est, quod ex collatione cum edit. *Veneta* 1749. f. deprehendimus, cuius *Tomum III. a pag. 514.* occupat. Lectiones variae, quae hinc inde occurrunt, eo majoris momenti sunt, quo propius Codex noster ad aetatem pii doctique Autoris accedit. Ita v. g. L. IX. c. 13. *initio* pro eo, quod habet *Veneta: Necdum causam commemorat*, legendum est cum Nostro: *Necdum causa commeruerat. &c.*

II. et quidem *fol. 140.* exhibet *Hugonis a S. Viatore* Can. Reg. ✠ 1140. Parisiis Summam eruditionis Theologicae hac inscriptione miniata: *Incipiunt Sententiae Magistri Hugonis. Prologus. De Fide quae in nobis est omni poscenti rationem reddere debemus esse parati &c.* In edit. *Rothomagensi* 1648. *Opp. omn. Hugonis Tomo III. a pag. 417.* Sententiae hae in VII. *Tractatus*, atque hi rursus in *Capita* dispescuntur; nobis vero *rubricis* so-

lum, neque id etiam semper, distinctae sunt. Sat magnam praeterea observare est inter exemplar utrumque lectionum varietatem, ratione plerumque pro nostro Codice stante, qui v. g. *Prologum*, ut vidimus, rectius inchoat: *De Fide, quae &c.* quam impressa, quae *et spe* interjiciunt, de qua virtute utique hic nondum sermo est. Agit ceterum *Hugo* in hoc Compendio de Virtutibus Theologicis, Trinitate et Incarnatione, de Creatione et Statu Naturae Angelicae et Humanae, de Sacramentis in genere et Praeceptis Dei, de Sacramentis in specie.

III. et quidem a *fol. 198. p. 2.* exhibet *Epistolam Urbani III. P. R. ad Fridericum I. Imp. datam Veronae. XIII. Kl. Julii* fine nota anni, qui tamen fuerit M. CLXXXVII. Urbani emortualis. Titulus in margine adscriptus est: *Vrb. PP. F. impri.* Cum hae Literae temporum historiam illustrent, et causas diffidorum inter utramque Potestatem amplius retegant, nec cum aliis *Urbani* literis, quas indicat *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. T. ult. p. 306.* uspiam, quod sciam, editae sint, integras hic adjicere operae pretium duximus.

Si datum esset desuper et celesti prouidentia stabilitum, ut inter ecclesiam et imperium ad salutem christiani populi tanta esset connexio caritatis, quod aduersus eam nec susurronum et malignantium studia preualerent, nec ab alterutra partium aliquid in preiudicium

dicium alterius vel dispendium ageretur, gratum nobis existeret et acceptum et universis deum timentibus, sicut credimus, conplacere; cum ad hoc sapientia dei duorum censuram gladiatorum statuerit, ut, dum alter alteri cohereret, iniquorum maliciam districtio unius compefceret et contemptentes alterius potentia refrenaret. Quod nos piis, sicut conuenit, affectibus intuentes ab ipsis promotionis nostre initiis firmum concepimus propositum et tenemus inter ecclesiam et imperium, si per tuam serenitatem non steterit, pacem perpetuam et concordiam reformare, et, salua conscientia loquimur, nequaquam occasionem quesuimus vel querimus ab hoc proposito desistendi. Sane imperiales apices ea, qua decuit, benignitate suscepimus, eorumque serie plenius intellecta, ut tue celsitudini de nostra conscientia certius innotescat, serenitati tue per singula duximus capitula respondendum. Recolimus siquidem, nec sine multimoda commendatione referimus, quod in promotione uestra pacem ecclesiae tua excellentia persecuta debita reuerentia et deuotione suscepit, quod circa nos manus domini uoluit operari, attendens, sicut credimus, quod sicut princeps es ex diuina institutione Catholicus; ita in ecclesia domini reuereri et seruare debeas catholicam unitatem. Post quod fatemur nos a tua magnitudine per litteras et nuncios accepisse, quod patrimonium ecclesiae, sicut ad tuum spectat officium, sub tua uolebas protectione recipere, et ad

boc, si in nostre consisteret beneplacito uoluntatis, H. illustrem regem tue excellentie filium destinare. Bona utique et commendanda promissio, si debita efficacia compleretur; sed quod sine ammiratione non ferimus, res in contrarium uisa (uersa) est. Cum idem illustris filius tuus non ad defensionem terre nostre, sed oppressionem uideatur intendere, et a ciuitatibus et aliis locis, que nostre iurisdictionis existunt, narnia uidelicet et byterbo, perusio et quibusdam aliis fodrum et alia indebita seruitia exigat, et quibusdam denegantibus, quod postulat, pro sue uoluntatis arbitrio comminetur. Placuit igitur promissio, placuit et affectus, et quia contrarius effectus extitit, graue gerimus, nec tue credimus excellentie conuenire. Quod autem nouarienses a Christi corpore, quod est ecclesia, pro culpa sua seperatos tua serenitas deuitauit, debita commendatione prosequimur, nec aliter saluti et honori tuo, qui uniuersos extolentes se aduersus deum et ecclesiam suam accepta debes potestate reprimere, et statuta ecclesiastica firmiter obseruare, congrue prouidisses. Ex eo uero, quod nobis super facto cremonensi intimasti, eo grauius ammiramur, quo affectum tuum ad hoc cognoscimus aliena forte suggestionem inductum, ut pro bis, que gratie debes prosequi actione, concepisse in contrarium uidearis. Nam cum Cremonenses ipsi sepius ad nostram accessissent presentiam, humiliter postulantes, ut eos sub protectione sedis apostolice

lice recipere deberemus, licet in salua consciencia potuerimus admisisse, qui uniuerſis ad nos deuote clamantibus fauorem tenemur apostolicum impertiri, ne tamen contra excellentiam tuam de fauore nostro existerent insolentiores, petitionem ipsorum nequaquam admisimus, ut tua prouidentia non ignorat, quod inter te et ipsos pacem et concordiam noluerimus disturbare. Quod si forte uoluissimus, aliter negotia processissent. Venerabili fratri nostro S. (id est Sicardo, qui in Chronico suo, quod ex Codice Caesareo inter Historicos indicamus, de ea pacificatione sic loquitur: Anno MCLXXXVI. Imperator quoddam castrum cremonensium, Manfredi nomine vocabatur, omnino destruxit. Sed auctore domino per meum ministerium facta est inter imperatorem et ciues meos reconciliatio) cremonensi episcopo ad Tractatum ipsius pacis intenderet, dedimus in mandatis, ut de reformanda concordia, omni qua posset sollicitudine laboraret. In quo, si quam habeas materiam conquerendi, serenitas tua consideret, quia nos id recurrentes ad memoriam conscientiam (conscientiae) non uidemus. Episcopis autem vel ciuitatibus Longobardie nequaquam nos prohibuisse meminimus, ne magnitudini tue in impugnatione cremonensium ipsorum assisterent, et consilium et auxilium debitum ministrarent, licet Episcopos ab hoc merito potuerimus prohibere, cum ecclesiis italicis nequaquam haecenus fuerit consuetum, banc

seruitutem imponere et imperialibus priuilegiis expresse, sicut tua serenitas non dubitat, habeatur, quod ipsis ecclesiis nouas condiciones tua non debeat inducere altitudo. Nec graue excellentiam tuam gerere uolumus vel molestum, si eos, qui commissas sibi ecclesias tam indebitae conditioni subicere presumpserunt, auctore deo pastoralis Officium (sic) compescamus. Quibusdam tamen pro certo injunximus, ut possessiones et bona ecclesiarum cremonensis dyocesis in imperialis collatione auxilii non uastarent. Quod quidem injuncti nobis officii debitum requirebat, qui tenemur ecclesiarum omnium statui prouidere; si que uero alterius tenoris littere emanarunt, eas libenter uolumus nobis presentari, et si de nostra consciencia processerunt, cum nonnullis quandoque, sicut a serenitate tua, ita a nobis littere surrepticie impetrentur, nequaquam negabimus ueritatem. In his omnibus et aliis, dum conscientiam et affectus nostros sollicita inuestigatione discutimus, nil in nobis uarium contra tuam excellentiam inuenimus, ex quo iustam habeas materiam conquerendi, nisi forte occasionem postules diuertendi ab amico. Nos uero, quot et quanta a te et excellentie tue ministris contra constitutionem diuinam et ecclesiasticam libertatem impune haecenus sustinuerimus attemptata, nequaquam sine consciencie dampno recolimus, et imperialem non credimus ignorare (excidit dictio Serenitatem vel quid simile) Nam, ut

ut cetera transeamus, nuper in taurinensi et yporiecenſi (ita ſcriptum pro Eporedienſi vel Hipporegienſi) dyoceſibus miniſteriales tuos diceris ſtatuiſſe, qui eccleſiaſticos uiros indebitis exactionibus et moleſtiis pregrauantes eos ad ſeculare iudicium pertrahunt, et ſuis compellunt iuſſionibus obedire. Memoratus etenim filius tuus et Berbtoldus eccleſias Tuſcie congregati exercitus mole deuſtant, eiſque collectas pro ſua ſtatuant uoluntate. Dux ſpoletanus ita ſtatum eccleſiarum, circa quas de mandato tue celſitudinis commoratur, in ſpiritualibus et temporalibus noſcitur attriuiſſe, eas uiris eccleſiaſticis pro ſua conferens et auferens uoluntate, capiens clericos et ad redemptionem compellens, quod uiri eccleſiaſtici, qui in terra commiſſa ſue poteſtati conſiſtunt propria coguntur teſta deſerere, et in opprobrium eccleſiaſtici ordinis mendicare. Id idem Gwalterius miniſterialis tuus in amachia et alii per regiones alias perpetrare non ceſſant, et tot de inſolentiis illorum ad nos querele proueniunt, quod quantumque tue uelimus ſerenitati deſerre, uolentes, ſicut tenemur, tue ſaluti conſulere, eas nequaquam poſſumus ulterius ſuſtinere. Corrigit igitur tam enormia imperatoria celſitudo, et ea, que nobis uerbis exprimis, opere et ueritate piis affectibus exequaris, attendens, quod ſupernus omnium conditor ita romanam eccleſiam ceſti uallatam præſidio ſtabiliuit, quod quantumcunque ad tempus moleſtiis vel

temptationibus perturbetur, nunquam tamen eam deſeret, qui beatum Petrum, cuius uicem in terris gerimus, de procelloſis fluctibus maris liberauit. Probibeas ergo ſepediſto filio tuo, ne poſſeſſiones et iura ſedis apoſtolice, de cuius fauore nonnulla ei poſſunt commoda prouenire, et aliam eccleſiaſticam libertatem perturbet in aliquo, ſed ad deſenſionem eius uiriliter accingatur. Miniſteriales autem tuos, ubicunque fuerint, ab eccleſiarum oppreſſione compeſcas, nec ab eis permittas, aliquatenus uſurpari, quod ex conſtitutione dei quibuslibet noſcitur laicis interdictum; certus pariter et ſecurus, quod ſi ad deſenſionem eccleſie et ad manu tenendam eccleſiaſticam libertatem tua clementia debita uoluerit pietate intendere, nil magis cupimus, nilque promptius gerimus in affectu, quam honorem tue celſitudinis paterne caritatis brachiis amplexari, et ea, que ad commodum imperiale pertinent, in quantum cum deo et honore eccleſie promouere, ſicut tibi per nuncios meminimus intimari, et dilecti filii Alexandri ſubdiaconi noſtri et magiſtri. . . Mediolanenſes canonici iteratis potuerunt relationibus intimare, qui ſicut uiri literati, prouidi et honeſti, et quos ſincera caritate diligimus noſtram tibi plenius aperient uoluntatem. Si uero, quod non credimus, per excellentiam tuam correſta non fuerint, que in iniuriam diuini nominis et oppreſſionem eccleſiarum hætenus enormiter perpetrata et iura romane eccleſie quiſquam tuorum

1215

C O D I C E S

1216

rum duxerit perturbanda, que per potentiam tuam ab aliorum debent molestatione defendi; nequaquam ulterius poterimus equanimiter sustinere, quin pro honore illius quam suscepimus diuina cooperante gratia gubernandam nos, ut ad nostrum spectat officium, opponamus. Datum Verone XIII. Kal. Julii.

Codicem nostrum olim ad antiquissimum Bavariæ Coenobium *Weltenburgense* pertinuisse repetita sæpius ἐπιγεγραφή: *Liber S. Georii Weltenburch*, docet, cujus Abbatem *Michaelem* 1418. multos Codices abalienasse inuenio, quo fortasse spectat illud fronti pag. 1. adscriptum: *Accepti dono ab abbate.*

CCCVIII.

342 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 150. f. probe scriptus, rubricisque pernotatus complectitur *Ruperti Abb. Tui-tiensis* Sec. ejusd. Scriptoris, O. S. B. an. 1135. defuncti *Libros XIII. de Victoria Verbi Dei*, de quibus jam ad *Cod.* præced. dictum est. Præcedit hic *Librorum Capitumque recens*, qui tamen satis exactus non est. *Fol.* 12. p. 2. minio: *Incipit prologus Ruberti de uictoria uerbi dei.* *Fol.* vero 14. *Incipit liber. Domini abatis. Ruodberti tuiciensis de victoria uerbi Dei.* Initia dedimus *Cod. supracit.* Lectio collata cum edit. *Veneta* 1749. T. III. *Opp. Ruperti* genuina est, sed ab iis L. XII. c. 24. uerbis: *quamuis*

apostolus grecis scribens et pro ne
— — — *mutilum est Exem-*
plum.

CCCIX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 121. f. probe scriptus et rubricis distinctus complectitur I. *Ruperti Abbatis Tui-tiensis Libros IX. de Glorificatione Trinitatis et Processione Spiritus sancti*, qui in edit. *Veneta* 1749. prostant T. III. p. 3. Titulus miniatus est: *Prologus Abbatis Ruberti ad Honorium Papam. Ante faciem tuam o princeps beatissime &c.* Nescit *Veneta* nomen Pontificis, e quo, cum *Honorius* ab a. 1124. ad 1130. sedem tenuerit, simul tempus eruitur, quo *Rupertus* egregium hoc Opus elaboravit. Hunc inter et sequentem *Prologum* intercedit *Capitulum Index*, qui deinceps cuius Libros præfixus est. Incipit uero alter *Prologus*: *Quid faciam o Philochristi omnes auditores beniuoli &c.* dirigiturque post medium ad *Canonem* ex Abbate *Sigibergensi* jam *Ratisponæ* *Praefulem* ✠. ut supra dixi, 1130. Opus ipsum, si integritatem spectes, cum editis consonat; non deest tamen lectionis uarietas. Clausula miniata totius est: *Explicit liber nonus de glorificatione trinitatis. et processione spiritus sancti. domni Ruperti tuiciensis abatis.*

II. et quidem a fol. 99. *Incipit liber eiusdem. de meditatione mortis. Quid nunc agis o anima?*
Saltem